

ŠKOFIJSKI LIST

13.

Pismo avstrijskih škofov do sv. Očeta z dne 8. novembra 1910.

Beatissime Pater!

Imperii Austriaci Episcopi, qui e superiorum temporum, instituto his diebus, cum de summis nostrarum dioeceseon rebus consilium habituri Vindobonam convenimus, nihil prius, nihil antiquius duximus quam Sanctitati Tuae literis salutem dicere ab Eaque Benedictionem Apostolicam petere, qua firmati bonis cum omnibus labores nostros inchoaremus. Pro qua Benedictione nobis benigne transmissa Sanctitati Tuae gratias maximas referimus.

Nunc autem antequam discederemus nostrasque dioeceses repeteremus, non potuimus nobis temperare, quin his litteris ad Te missis iterum pietatis sensa Tibi expromeremus et quae animos nostros angunt, filiorum fiducia aperiremus. Etenim in dies magis, Sanctissime Pater, nobis persuadetur Te peculiari Dei optimi Providentia in his gravissimis tempestatibus Dei Ecclesiae datum esse.

Et re quidem vera id quod in ingressu Pontificatus Tibi proposuisti: instaurare omnia in Christo, non minore sapientia quam animi fortitudine ad exitum perducis. Instauras profecto in Christo omnia, quae in ordine naturae et gratiae condita sunt. Ab immis, namque fundamentis, quibus uterque ordo nititur, exorsus, rationis et fidei leges forti et, cui nulla vi resisti potest, dextra, adstruis; connubium, quod divina Sapientia inter rationem et fidem nexuit, sacrosanctum ac inviolabile servari iubes, non secus acriter insequens eos, qui ratione agnosticismi undis submersa fidem solam extollunt, quam eos, qui fidem, quam a summo coelo egressam principari fas est, rationi subici, quin ratione etiam absumi velint.

Beatissime Pater! belli contra Modernismum, quod omnium hereseon conlectum merito, appellasti, a Te suscepti institutum et gerendi

ratio iusta nos admiratione afficiunt, ita ut nesciamus, utrum in ea re magis sapientiam an patientiam, ac perseverantiam celebremus. Ex quo enim altis non secus ac concinnis verbis Encyclicae »Pascendi« praeceptores Modernismi dissimulationis integumentis evolvisti et nudasti, potente manu usque adhuc insequeris nusquam consistere sinens, cum in id unum animum intendas, ut a familia catholica, quam in veritate sanctificari oportet (Joa. 17, 17), omnis error procul arceatur reductique ad fontes vivos doctrinae purae fideles sanctis operibus Deo fructificent.

Et nos in dies magis intelligimus, quantum Sanctitati Tuae respublica christiana debeat. Jam enim ad extrema periculorum ventum erat, ita ut, nisi auxilio venisses, pessima timenda fuissent. Neque secus nobis remedia, quae tanto malo occurrendo elegisti nobisque arripienda suggestisti, probantur, prout est Censuram institutum vel Consilium, quod a vigilantia audit, tandem quod omnes, qui Ecclesiae ministerio se dedicant vel in aliquo ecclesiastico munere dignitate collocandi sunt, professionem fidei Modernismi errores condemnantem iurejurando firmatam elicere iubes.

Neque tamen summis his negotiis intento Tibi, Beatissime Pater, minus curae omnia alia sunt, quae rationibus Ecclesiae conducere possint. Quid enim quod ad salutem sive temporalem sive aeternam pertinet, a corde Tuo alienum est? Quis pietatis Tuae viscera haud experitur? Tu Episcopos, quos Deus in summa arce Sion collocavit, instruis, quomodo non vocatos a Sanctuario arceant; quomodo iuvenes in sortem Domini assumptos in disciplinis sacris et in moribus tanta vocatione dignis instituant; Tu amovibilitatis parochorum disciplinam, quo et Episcopi in tam gravi negotio securius agant et parochorum iura in tuto ponantur, sapienter

moderaris; Tu summi Magistri partes sumens Clero catholico vitae spiritualis et asceticae christianae praecepta explicas; Tu Sacerdotibus gregis fidelium magistris ac pastoribus verbi Dei praedicandi et catechismi explicandi officium gravissimum religiose obeundum inculcas; Tu Religiosos et Moniales regulae primigeniae integritatis aemulator ad consiliorum evangelicorum perfectionem informas; Tu plebeiorum, qui in sudore vultus panem comedunt, salutis studiosissimus, actionem socialem provehis praeceptisque salutaribus temperas; Tu gregem fidelium, in hac lacrymarum valle laborantem, ne deficere possit in via, ad pascua vitae aeternae ducis, ad frequentiam divinae Agapis invitans, adhortans; Tu denique parvulos panem petentes pane eucharistico refici iubes, ut Jesus in tenella aetate mysterio amoris sibi adstringat, ne saeculum praeripiat. Jure itaque merito usurpare Tibi licet illud Apostoli: »Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos« (I. Cor. 9, 22).

Quantis porro curis Ecclesiarum sollicitudo pectus Tuum implet! Quantae Te temporum iniquitates aggravant! Quae inimici Dei in Gallia, Hispania, Lusitania, Italia alibique gentium in Ecclesiam Dei iniquo consilio moliuntur, quomodo animum Tuum haud stringant? Quanta inde Tibi aegritudo! Quis enim infirmatur, et Tu non infirmaris? Quis scandalizatur, et Tu non ureris?

Pro his aliisque maximis laboribus et molestiis, quae reipublicae christianae commodis consulturus suscepisti, merita iustaeque gratiae Tibi sunt. Nos autem, Beatissime Pater, firmiter spondemus praeceptis Tuis paratissime nos obsecuturos nec quicquam neglecturos esse, quod ad consilia Tua adsequenda valet.

Persuasum profecto est Catholicis Pastorem diligentissimum in summa arce excubias agere ipsorumque utilitatibus invigilare; ideo securi et tranquilli agunt Deo pro tanto Pontifice gratias dicentes: persentit infernus auctoritatis Pontificiae pondus opusque suum labare videns, saevit et infremit. Id nuper identidem factum vidimus. Cum enim Litteris encyclicis memoriae iubilari S. Caroli Borromaei digne celebrandae, historiae testimonio innixus, auctores et fautores falsi nominis Reformatorum iustissimo iudicio perstrinxisti, hostes Dei ex latebris prorumpentes quasi ex conducto turbas concierunt, ut animos

Catholicorum ab Ecclesia abalienarent eiusque odio imbuerent. Necdum hi conticuerunt, cum in ipsa alma Urbe, Sanctitatis Tuae sede, infernus aliam evomuit in Pontificatum et Ecclesiam blasphemiam, ita ut orbis catholicus totus immis visceribus ingemuerit.

Hac occasione Te, Beatissime Pater, ingemiscere aevique iniquitatibus illacrymari vidimus. — Utinam Patris lacrymae coelum penetrent a filiisque ingratis vindictam iusti Dei avertant!

Nos quoque huc congregati tantae impietatis crimen vehementer lugemus, indignabundi de testamur. Lacrymae Tuae, Beatissime Pater, nobis Tecum communes sunt. In tantis rerum asperitatibus nostrae pietatis solemnis asseveratio Tibi levamento sit. Ecce coram Deo hic suplices adistimus manusque ad coelum tollentes ex immis animis oramus pro Pontifice nostro Pio, ut Dominus Eum conservet, beatum faciat Eum in terra et non tradat Eum in animam inimicorum Eius.

Atque utinam quam primum illucescat aurora illius diei, quo Catholicorum familia per orbem late diffusa Patrem suum ab alieno imperio intactum plena libertate frui laetetur!

Sanctissime Pater, ne quaesumus a magnis inceptis, quae vitae christianae reformandae suscepisti, desistas. Forti manu gubernacula Ecclesiae dirigas. Et nos, qui Te duce pretiosa ordinis supranaturalis dona generi humano integra servemus oportet, consiliis salutaribus instruas, adhortationibus firmes, iniqui aevi fluctibus agitados, ne submergamur, dextera porrecta adlevés. In Te namque firmitas nostra constat, cum Tu sis petra inconcussa, cui Ecclesia superstructa consurgit; nos autem temporum vicissitudinibus eatenus superiores sumus, quatenus arma nostra Tecum consociamus. Ex Te itaque infirmitati nostrae ad proelia Domini fortiter pugnanda animus accedat. Tu, cum haeres sis illius gratiae, quam Dominus ultima illa nocte rogatione ad Patrem fusa Simoni impetravit, nos Fratres Tuos, laborum Tuorum socios, Benedictione Apostolica confirma, ne fides nostra, ne nostra erga S. Sedem Romanam pietas deficiat.

Vindobonae a. d. VI. Idus Novembris 1910.

(Podpisi vseh avstrijskih škofov.)

14.

Dilecto Filio Nostro Antonio Josepho S. R. E. Presb. Card. Gruscha Archiepiscopo Viennensi
et Venerabilibus Fratribus ceteris Archiepiscopis et Episcopis ditionis Austriacae.

PIUS PP. X.

Dilecte Fili Noster, Venerabiles Fratres salutem et Apostolicam Benedictionem.

Quas vos haud ita pridem, cum solemne consilium de communibus vestris rebus Vindobonae haberetis, misistis ad Nos plenas amoris et officii litteras, iis Nos magna cum voluptate perlectis, facere non possumus, quin vobis et agamus ingentes gratias, et vehementer gratulemur. Etenim in his temporum acerbitatibus, quae domi forisque tantas Nobis curas et molestias exhibent, omnino labori et aegritudini succumbendum Nobis foret, nisi divinus Auctor et Conservator Ecclesiae infirmitatem Nostram praesenti ope sustentaret. Sed, praeter Dei benignitatem, maxime Nos recreat et reficit studium sacrorum Antistitum, qui voluntatis necessitudine, non solum dignitatis, Nobiscum cohaereant, suaque navitate et industria onus Apostolatus aliqua ex parte Nobis allevent. Hoc nempe numero vos esse, probe jam scimus: verumtamen praeclara illa vel significatio vestrae erga Nos pietatis, vel professio intimae cum Apostolica Sede vestrum coniunctionis, vel declaratio obsequii et fidei, qua praeceptis optatisque Romani Pontificis obtemperare studetis, opportuno Nobis, nec mediocri solatio fuit: et ob eam rem Nostra vobis gratia debetur. Illum autem causae est, cur vobis gratulemur, quod e coetu Vindobonensi ad explenda boni Pastoris officia atque partes maiorem videmini sumpsisse alacritatem, et praecipue in illa incubuisse, quae hodie vestram diligentiam in primis requirunt.

Nam quod in Nostra ponitis laude, quidquid ad hanc diem in utilitatem Ecclesiae gessimus, quodque praesertim ea miramini et effertis, quae Nos de cohibenda peste Modernismi, de augenda auctoritate Episcopi in ordinatione parocciarum, de communicatione Corporis Christi maturanda pueris constituimus, vos quidem pie humaneque facitis: nihil enim Nos aliud egimus, ac Nostrum officium munusque postulabat: sed tamen intelligimus omnem vos duros esse operam, ut quae universis Episcopis praescripta sunt, ea vos, pro virili parte, accuratissime exsequamini. Ceterum non eget hortationis Nostrae quasi stimulo vestra virtus: satis ardorem vestrum elaborandi pro Ecclesia excitat atque acuit ipsa, quae ingravescit contra Ecclesiam conspiratio improborum; hinc est, quod convicia nuper facta adversus Romanum Pontificatum, et contumelias recentius maiestati Religionis in hac alma Urbe impositas tam vos indigne tulistis tamque graviter conquerimini. Itaque, ut rogatis, divinae gratiae munera, quibus labor vester adjuvetur et fructuosus fiat, precamur, effuse in vos de caelo defluant, eorumque auspiciem, vobis, dilecte Fili Noster et Venerabiles Fratres, Cleroque et populo vestro apostolicam benedictionem amantissime impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die VII. mensis Januarii anno MCMXI, Pontificatus Nostri octavo.

Pius PP. X.

15.

Pismo avstrijskih škofov do svoje duhovščine.

Archiepiscopi et Episcopi Ditionis Austriacae Dilecto ac Venerabili Clero suo salutem
a Domino!

Venerabiles Fratres!

Praesules Vestri Vindobonae in Domino congregati gravissimum muneris sui officium esse duxerunt, literas pastorales verba tum consolationis tum exhortationis proferentes ad Vos, fratres carissimi, dirigere. Difficilia enim sunt tempora et periculis plena. Cum Mathathia

debemus dicere: »Nunc confortata est superbia et castigatio et tempus eversionis et via indignationis. Nunc ergo, o filii, aemulatores estote legis et date animas vestras pro testamento patrum vestrorum et mementote operum patrum, quae fuerunt in generationibus suis.«¹ Jamjam adsunt

¹ I. Maccab. 2, 49—51.

illa tempora, de quibus Christus Dominus prophetavit: »Et eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum. Et tunc scandalizabuntur multi et invicem tradent et odio habebunt invicem. Et multi pseudoprophetae surgent et seducant multos. Et quoniam abundavit iniquitas, refrigescet caritas multorum.«¹ Quam plurimi catholici dicunt, si non verbis, saltem factis: »Venite et fruamur bonis et non praetereat nos flos temporis. Coronemus nos rosis, antequam marcescant, nullum pratium sit, quod non pertranseat luxuria nostra. Nemo nostrum exors sit luxuriae nostrae, ubique relinquamus signa laetitiae, quoniam haec est pars nostra. Opprimamus pauperem justum et non parcamus viduae. Sit autem fortitudo nostra lex justitiae.«² Nostro quoque tempore saepissime verificatur dictum Spiritus sancti: »Impius, cum in profundum venerit, peccatorum, contemnit.«³ Surgunt etiam nunc temporis pseudoprophetae, sicut Christus praedixit, et dant signa et prodigia, ita ut in errorem inducantur (si fieri potest) etiam electi.⁴ Quid igitur Nobis et Vobis, fratres carissimi, agendum et providendum est, ut animabus pretiosissimo Christi sanguine redemptis nunc temporis adeo periclitantibus quovis optimo modo succurramus et honorem Dei in terris augeamus? Respondent Simon Petrus, princeps apostolorum: »Fratres, sobrii estote et vigilate, quia adversarius vester diabolus tamquam leo rugiens circuit, quaerens quem devoret. Cui resistite fortes in fide.«⁵ Et revera »haec est victoria, quae vincit mundum, fides nostra.«⁶ Justus juxta effatum Spiritus sancti ex fide vivit;⁷ eo magis igitur sacerdotes ex fide vivere debent, et tota vita sacerdotalis manifestatio quaedam et explicatio fidei catholicae sit oportet. In omnibus Christi fidelibus fides est initium et radix et fons bonorum operum; eo magis in sacerdotibus fides catholica debet esse omnium laborum et studiorum principium et finis. Sacerdotes sine fide vel cum modica fide sunt »nubes sine aqua, quae a ventis circumferuntur, arbores autumnales, infructuosae, eradicatae«,⁸ sunt »cisternae dissipatae, quae continere non valent aquas«,⁹ sunt milites sine armis, sunt sal infatuatum, »ad nihi-

lum valens ultra, nisi et mittatur foras et conculcetur ab hominibus.«¹

Ex fide supernaturali efflorescit fortitudo illa apostolica, qua in omnibus aerumnis et casibus adversis muneris nostri stamus immobiles et animis intrepidis, scientes ex fide revelata, quod proliemur proelia Domini. Eadem fides revelata edocet nos, quod Christus Dominus apostolus suos paulisper trepidantes consolatus est verbis: »Confidite, ego vici mundum.«² Et cum apostoli in procella maris prae angustia cordis clamassent ad Dominum: »Salva nos, perimus!« Christus tandem aliquando expergiscens increpavit eos dicens: »Quid timidi estis, modicae fidei? Tunc surgens imperavit ventis et mari, et facta est tranquillitas magna.«³ Idem Dominus, qui omnipotentia sua imperavit ventis et mari, promisit ecclesiae suae, quod portae inferi non praevalerunt adversus eam. Et reversurus ad Patrem consolatus est apostolos dicens: »Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi.«⁴ Revera, fratres carissimi, Dominus prope est, Dominus nobiscum est, adjuvans nos semper et dans fructus laborum nostrorum tempore praestituto a Patre. Non est causa nostra, quae agitur a nobis, sed est causa Dei omnipotentis, qui juxta Psalmistam⁵ irridebit inimicis suis et subsannabit eos; est causa Domini, qui jurejurando promisit, se suos, qui in mundo sunt, non esse relicturum.

Confidite ergo, fratres carissimi, et estote viri, pleni Spiritu sancto et corroborati fortitudine apostolica. Nihil est Ecclesiae, operibus Dei et sacerdotum laboribus tam periculosum nihilque quod quemlibet progressum adeo impediatur, quam quaedam depressio animorum, quae inchoato nondum proelio jam omnia perdita autumat, et adhortationibus et conatibus aliorum respondere solet: »Quis contra torrentem? Quid proficit, quid proderit?« Remiscamini, venerabiles fratres, Deum esse robur nostrum; et si Deus nobiscum, quis contra nos? Mementote, fontes et radices actionum salutem animarum concernentium non solum consistere in conatibus nostris sed multo magis in gratia Dei, qui etiam ex lapidibus potest suscitare filios Abrahae.⁶ Deus omnipotens misit nos et praecepit nobis, docere omnes gentes et docere eos

¹ Matth. 24, 9—12.

² Sap. 2, 6—11.

³ Prov. 18, 3.

⁴ Matth. 24, 24.

⁵ I. Petr. 5, 8. 9.

⁶ I. Joan. 5, 4.

⁷ Rom. 1, 17.

⁸ Ep. Jud. 12.

⁹ Jer. 2, 13.

¹ Matth. 5, 13.

² Joan. 16, 33.

³ Matth. 8, 26.

⁴ Matth. 28, 20.

⁵ Ps. 2, 4.

⁶ Matth. 3, 9.

servare omnia, quaecumque mandavit nobis. Dei causam agimus, cuius angelus ad obiectionem: »Quomodo fiet istud?«¹ responsum dedit: »Quia apud Deum non erit impossibile omne verbum.«² Propterea, fratres carissimi, agite macti virtute in munere vestro et in officiis vestris! Habemus assistentiam Dei, cuius brachium nondum abbreviatum est et pugnat pro nobis. Habemus insuper gratiam muneri nostro sacerdotali divinitus annexam, gratiam illam, quae est in vobis per impositionem manuum nostrarum. Rogamus Vos, venerabiles fratres, ut in dies magis resuscitetis hanc gratiam, qua Deus ipse sibi quasi officium imposuit, nobis omnia subsidia et adjuvamenta, ad salutarem et efficacem curam animarum necessaria, subministrandi. Quo magis urget proelium et propriae vires deficiunt, eo magis indigemus auxilio de Sancto et tuitione de Sion. Vivamus igitur et operemur ex fide supernaturali, quae fides praestabit nobis firmissimam fiduciam, tandem aliquando vincendi vel potius emendandi inimicos Dei et adversarios Ecclesiae.

Nulla modo diffidendum est de Ecclesia et de fructu laborum nostrorum. Haec docet fides catholica. Nam divinus Salvator, qui nobiscum est usque ad consummationem saeculi, dixit: Coelum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt. Attamen non solum fides revelata, sed etiam sana ratio et historia, quae est magistra rerum, docent, de Catholicismo nullo modo esse desperandum, sicut adversarii jactant. Ecclesia catholica est organismus in orbe terrarum maximus et firmissimus; regnum Dei, quod non est de hoc mundo, non solum est antiquissimum, sed etiam celeberrimum, amplissimum et in seipso maxime unitum, unitum quippe doctrina, sacramentis et hierarchia. Nullus alius organismus est taliter excultus et potest ubique terrarum tam efficacibus mediis finem suum assequi ac Ecclesia catholica. In quolibet, etiam minori pago habet iste organismus saltem unum virum literis instructum, scilicet animarum curatorem, qui se totum servitio Ecclesiae solemniter voto mancipavit. Et in qualibet parochia habet iste organismus tabernaculum conventuum saltem unum, et qualibet dominica est concursus fidelium, quorum corda verbi Dei praedicatione et cultu divino concurrentibus quasi omnibus artibus humanis cum gratia divina, ad amorem Dei et aestimationem Ecclesiae sursum elevantur. Et uno eodemque die festo innumerabiles fere sacerdotes in

numerosissimis ecclesiis verbis politis et doctis loquuntur ad populum et praedicant eandem prorsus doctrinam et eadem sacramenta et obedientiam erga eandem hierarchiam. Ubinam in orbe terrarum, venerabiles fratres, est organisatio tam late diffusa, tam firma, tam efficax? Et qua de causa sumus modicae fidei, cum insuper veritas divina et gratia Dei nobis assistant?!

Confide igitur, fratres carissimi, et nolite timere! Dicamus et oremus cum beato Paulo apostolo: »Sicut abundant passionem Christi in nobis, ita et per Christum abundat consolatio nostra.«¹

Sed oeconomiae gratiarum Dei proprium est, ut divinae gratiae, quae nunquam deest, semper correspondere debeat cooperatio nostra. Quocirca nos sacerdotes orare et confidere debemus, quasi a sola gratia dependeant omnia, et debemus insimul laborare omnibus viribus, quasi a sola cooperatione nostra sperandus esset fructus. Deus promissionibus suis non deerit et certissime operabitur, quod suum est. Si et nos operamur, quod nostrum est, cura nostra animarum proculdubio trigesimum aut sexagesimum aut etiam centesimum fructum dabit.² Et de hac cooperatione nostra tantopere necessaria adjungimus in sequentibus hortamenta et obsecrationes ad Vos, fratres carissimi.

Opus praecipuum cuiuslibet hominis atque eo magis cuiuslibet sacerdotis et sanctificatio sui ipsius. Si volumus juxta tesseram Pii X. gloriose regnantis omnia instaurare in Christo, necesse est, ut prius instauremus nos ipsos in Christo Jesu. Haec est reformatio maxime necessaria atque utilissima, reformatio in dies possibilis, reformatio neque fumum neque strepitum faciens, nec disputationes et lites pariens, utique vero saluberrimos fructus afferens. Haec insuper est reformatio, de qua in tremendo iudicio primo loco nobis erit reddenda ratio; et nihil proderit coram omnipotenti iudice, si tempore vitae nostrae reformationem totius mundi necnon Ecclesiae instantissime poposcerimus, reformationem autem nostriipsorum neglexerimus. Quapropter satage, venerabilis frater, quotidie in sanctificatione et reformatione tuiipsius procedere, ne cum aliis praedicaveris, ipse reprobus efficiaris.³ En praesto sunt media sanctificationis plurima et efficacissima: oratio, meditatio, examen conscientiae, adoratio sanctissimi Sacra-

¹ Luc. 1, 34.

² Luc. 1, 37.

¹ II. Cor. 1, 5.

² Matth. 13, 8.

³ I. Cor. 9, 27.

menti, confessio, pia lectio, exercitia spiritualia. Gravissimum negotium cuiuslibet diei est progressus in sanctificatione nostra, ex quo progressu omnes labores nostri adiutorium Dei in dies maius haurient.

Ex studio seipsum in dies magis sanctificandi efflorescit exemplum bonorum operum, quod est evangelium vivum pro fidelibus. »Pietas ad omnia utilis«¹ monet doctor gentium discipulum suum Timotheum. Pietas utilis, immo necessaria est ad curam animarum. Nam sacerdos, qui caritatem et gratiam sanctificantem non habet, est juxta Apostolum velut aes sonans aut cymbalum tinniens.² Numerosissima sunt dona, quae a sacerdotibus postulantur nostris praesertim temporibus. Sed donum praecipuum, quod jure meritoque in quolibet sacerdote quaeritur, est donum sanctitatis vitae. Sacerdos, cuius vita Evangelio contraria est, est contradictio in semetipso et scandalum non solum coram Deo et ecclesia, sed etiam coram mundo. Homines saeculares saepissime obliviscuntur, omnes et proinde etiam se ipsos esse obligatos omni tempore ad servitium Dei; attamen nunquam obliviscuntur, sacerdotem totaliter esse mancipatum et obstrictum ad exemplum bonorum operum. Propterea, quae in aliis levia videntur, in sacerdotibus habentur graviora et oriuntur scandala. Homines saeculares e. g. frequentant spectacula, frequentant cauponas et parvipendunt pericula animabus suis exinde imminencia; sed scandalizantur, si sacerdotes eadem spectacula eademque, cauponas frequentant, atque optime norunt, talia decoro clericali esse omnino contraria necnon esse occasionem proximam graviter peccandi. Ad nos sacerdotes et munus nostrum potissimum pertinet illud sancti Pauli: »Haec est voluntas Dei, sanctificatio vestra«³ et illud in Apocalypsi: »Qui justus est, justificetur adhuc et sanctus sanctificetur adhuc!«⁴

Unacum pietate indiget sacerdos nostris praesertim temporibus scientia. »Labia enim sacerdotis custodient scientiam et legem requirunt ex ore ejus, quia angelus Domini exercituum est,«⁵ docuit propheta Malachias jam de sacerdotibus antiqui foederis. Scientia hodie dum est quasi regina mundi, et sub velamento et praetextu scientiae adversarii sanctae Ecclesiae

aciem construunt et impetus in dies vehementiores faciunt contra veritatem divinitus revelatam. Opus est igitur, ut impetus huiusmodi armis ejusdem generis repellantur et profligantur. Militia sacra instructa sit oportet, contra turmas magistrorum prurientium auribus. Quilibet sacerdos hoc saeculo debet esse apologeta tum vita tum doctrina et scientia sua, sicut monet beatus Paulus: »Potens sit exhortari in doctrina sana et eos, qui contradicunt, arguere. Sunt enim multi etiam inobedientes, vaniloqui et seductores, quos oportet redargui.«¹ Sacerdotibus praeprimis necessaria est scientia sacra. Ipsa est muneris eorundem et dicitur pro sacerdotibus merito sacramentum octavum. Omnes disciplinae scientiae sacrae colendae sunt, maxime autem pro indigentia temporum illa disciplina, qua redditur rationabile obsequium nostrum. Etiam disciplinae saeculares, si tempus permittit, colantur eo praesertim fine, ut earum subsidio veritas revelata melius defendatur.

Venerabiles Fratres! Amate et scrutamini scripturas! Nolite pati jacturam temporis! Discite ab adversariis! Quot sunt doctores, qui totas pene noctes insomnes ducunt et super elucubrationes suas vigilant, ut demonstrent religionem Christi esse inanem et Ecclesiam eius funditus evertendam. Et nos, quos dixit Dominus non servos, sed amicos suos, et quibus concedit animos pretiosissimo ipsius sanguine redemptas, poterimus quaerere otium cum dignitate vel poterimus indulgere allotriis? Venerabiles Fratres, »caritas Christi urget nos.«² Pericula animarum et necessitates Ecclesiae exostulant ab unoquoque nostrum labores assiduos et strenuos. Ecclesia catholica aequiparanda est domui gravi incendio manu adversariorum devastandae. Tempore incendii non quaeritur, quid sit strictum cuiuslibet officium, forsitan documentis statutum, sed unusquisque, qui est bonae voluntatis, quantum potest, tantum audet. Sic et nos, zelo domus Dei incensi, debemus laborare unitis et totis viribus. Labor autem noster sit praeter curam animarum maxime studium scientiarum. In clero sunt permulta ingenia sagacia. Consulendum et magnopere incutiendum est, ut quilibet sacerdos sibi eligat disciplinam praematam, in qua, quin necessaria in aliis disciplinis negligat, excellere studeat. Tali modo patria mox abundaret sacerdotibus revera doctis ad decus et maximam utilitatem ecclesiarum. Hac ratione cito citius con-

¹ I. Tim. 4, 8.

² I. Cor. 13, 1.

³ I. Thess. 4, 3.

⁴ Apoc. 22, 11.

⁵ Malach. 2, 7.

¹ Tit. 1, 9—11.

² II. Cor. 5, 14.

ticesceret rumor ille de inferioritate scientifica cleri, et homines, quos vocant intelligentes, quatenus deviaverint a recto tramite, facilius inveniunt reditum ad Ecclesiam. Quapropter, venerabilis frater, labora sicut »bonus miles Christi Jesu, in omnibus labora, opus fac evangelistae, ministerium tuum imple!«¹

Hac occasione iterum atque iterum Vos exhortamur, fratres carissimi, ut strenue et collatis viribus adlaboretis ad ideam universitatis catholicae propagandam et ad foundationem dictae universitatis Salisburgi instituendae efficaciter promovendam.

Ad principaliores sacerdotum labores pertinent praedicatio verbi Dei et catechisatio parvulorum. Aevum nostrum prae se fert characterem quendam materialisticum. Studia hominum magis apparent defixa in terrenis, et sensim sine sensu etiam Christifideles obliviscuntur moniti doctoris gentium: »Quae sursum sunt, quaerite, ubi Christus est in dextera Dei sedens, quae sursum sunt, sapite, non quae super terram.«² Contra hoc studium terrestre, quod est concupiscentia oculorum, concupiscentia carnis et superbia vitae, est remedium praedicatio verbi Dei et institutio juventutis christiana. Verbum Dei juxta sanctum Paulum³ est vivum et efficax et penetrabilis omni gladio ancipiti. Sed efficacia ista plane mirabilis inest solummodo praedicationi clare conceptae et pie praemeditatae. Studium igitur et meditatio praedicationi verbi Dei sive in ecclesiis sive in scholis instituendae praecedant necesse est. Catholica institutio juventutis per catechesin eo gravioris est momenti, quia institutio haec pro majori parte discipulorum est unicus per totam vitam cursus systematicus de doctrina et vita christiana. Longe maior pars hominum ad summum tantum scit et tantum exercet de religione christiana, quantum in scholis per catechistam didicerit et assuetus fuerit. Depositum fidei, quod in cordibus discipulorum reposuerit catechista, est illa summa, ex cuius abundantia per totam vitam hauriendum erit, ex quo amplius elucet, catechesin esse rem gravissimi momenti. In aetate tenera est tempus acceptabile et in juventute sunt dies salutis, quando innocentia cordis unacum virtutibus infusis offert catechizantibus terram bonam et optimam, quae suo tempore dabit fructum centuplum. Unde iterum atque serio inculcamus,

¹ II. Tim. 2, 3; 4, 5.

² Col. 3, 1.

³ Hebr. 4, 12.

catechesin esse rem maximi momenti eamque proinde diligenti praeparatione indigere. Eja, fratres carissimi! Christus Dominus praecepit nobis: »Euntes in mundum universum praedicate evangelium omni creaturae.«¹ Creaturae Dei praedictae sunt proculdubio parvuli, quia divinus Salvator ait: »Sinite parvulos et nolite eos prohibere ad me venire, talium enim est regnum coelorum.«²

Pro cura animarum et universim pro toto munere sacerdotali magnopere commendanda est urbanitas quaedam in consuetudine hominum, urbanitas scilicet sacerdotalis, quae est flos et fructus virtutum sacerdotalium, scilicet humilitatis, mansuetudinis, caritatis, temperantiae, castitatis. Nemo non scit, quantopere urbanitas prasertim ab hominibus cultioribus aestimetur et quomodo defectus quidam urbanitatis in cura animarum radix gravissimorum malorum esse possit. Divina Sapiencia nos admonet: »Fili in mansuetudine opera tua perface et super hominum gloriam diligeris. Quanto magnus es, humilia te in omnibus et coram Deo invenies gratiam. Altiora te ne quaesieris et fortiora te ne scrutatus fueris. Sed quae praecepit tibi Deus, illa cogita semper.«³ Haec cogitando et in mansuetudine et humilitate agendo et conversando amabili illa urbanitate praediti erimus, qua Christifideles obedientia ac reverentia erga sacerdotes faciles redduntur.

Magnopere Vobis, venerabiles fratres, commendamus mutuam caritatem, fraternitatem ad invicem, solidaritatem clericalem. Psalmista ait: »Ecce, quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum!«⁴ Et in proverbiiis legimus: »Frater, qui adjuvatur a fratre, quasi civitas firma.«⁵ Et Christus, rex et exemplar sacerdotum, docet: »Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos, ut et vos diligatis invicem. In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.«⁶ Ex mutua caritate et fraternitate oritur solidaritas cleri, nostris temporibus adeo necessaria. Sicut Christus praedixit,⁷ odit nos mundus. Ecclesia eiusque ministri fere undique circumdantur inimicitiiis. »Anticlericalismus« est tes-

¹ Marc. 16, 15.

² Matth. 19, 14.

³ Eccli. 3, 19—22.

⁴ Ps. 132, 1.

⁵ Prov. 18, 19.

⁶ Joan. 13, 34. 35.

⁷ Joan. 15, 19.

sera eorum, qui convenerunt in unum adversus Dominum et adversus Christum ejus. Quo major est numerus inimicorum nostrorum, eo magis necessaria est solidaritas cleri. »Omne regnum in seipsum divisum desolabitur et domus super domum cadet«,¹ ita monet Christus Dominus. Adhortamur Vos, fratres carissimi, verbis sancti Pauli: »Obsecro itaque vos, ut digne ambuletis vocatione vestra, qua vocati estis, cum omni humilitate et mansuetudine, cum patientia supportantes invicem in caritate, solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis.«² Absit igitur a clero omne genus zelotypiae, quae satis frequenter occurrit inter clericos. Zelotypia est filia invidiae. Caritas est virtus divina, invidia et zelotypia adversantur caritati et proinde sunt vitia capitalia, radices peccatorum, ex quibus caterva vitiorum pullulat. Abudent ergo caritas uniuscuiusque vestrum ad invicem!³

Militia sacra est juxta mentem salvatoris acies bene ordinata. Summo pontifici subditi sunt episcopi et episcopis subditi sunt sacerdotes. Inter singulos gradus hierarchicos intercedit relatio, quae a canonistis dicitur majoritas et obedientia. Obedientia canonica est elementum constitutivum Ecclesiae, et sacerdotes, qui detrahit superioribus obedientiam, concutit, quantum ad ipsum pertinet, fundamentum Ecclesiae. Eximiis praeconiis celebratur in sacris litteris virtus obedientiae. »Melior est obedientia, quam victima.«⁴ »Multo melior est obedientia quam stultorum victimae.«⁵ »Mens justi meditatatur obedientiam.«⁶ Monemus igitur Vos, venerabiles fratres, verbis sancti Pauli: »Oboedite praepositis vestris et subjacete eis. Ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant et non gementes. Hoc enim non expedit vobis.«⁷ Unde etiam sanctus Augustinus monet: »Neque imperare inferioribus potest, nisi superiori se ipse subiciat. Et haec est pax, quae datur in terra hominibus bonae voluntatis: haec vita consummati perfectique sapientis.«⁸ Et revera, uti testatur historia Ecclesiae, non expediunt clero inobedientia et insubordinatio. Quotiescunque enim subtrahere coeperunt episcopi obedientiam summo pontifici debitam, illico facti sunt famuli

potestatis saecularis, quae dominabatur in ipsos. Et quotiescunque sacerdotes subtraxerunt obedientiam episcopis debitam, facti sunt subditi et servi plebis necnon demagogorum, qui dominabantur cum austeritate et potentia in clerum. Et quia inobedientia ex superbia procedit et quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam, saepenumero sacerdotes inobedientes quasi in poenam insubordinationis suae facti sunt servi passionum suarum, immo etiam circa fidem naufragium passi sunt. Sacerdotes vere obediens omnia mandata superiorum et maxime decreta Summorum Pontificum suscipit cum reverentia filiali. Persuasum enim habet, quod Summus Pontifex, quippe qui super custodiam positus est,¹ melius scit, quid Ecclesiae et clero prosit. Et si quid statuitur, cuius ratio in momento non apparet aut quod minus opportunum videtur, sacerdos vere obediens nihilominus promptum obsequium praestabit. Scit enim, iudicium de necessitate et opportunitate legum ecclesiasticarum esse praepositorum et non subditorum. Et tale obsequium est quam maxime meritorium. Servate igitur et defendite, fratres carissimi, obedientiam canonicam et quo magis ipsi obedientiam colueritis, eo perfectius et lubentius subditi Vestri obedientiam Vobis praestabunt.

Imperium nostrum, qua late patet, contentionibus scatet politicis, nationalibus et socialibus. Juxta monitum Apostoli »Nemo militans Deo implicat se negotiis saecularibus«² sacerdotes hisce contentionibus ne se immisceant, nisi eo consilio ut ubique locorum principia catholica observentur et res ad eorundem principiorum tramitem componantur. Clerus iuribus politicis, quippe quae omnibus civibus competunt, utatur, sed cum moderamine, quod ex dignitate status clericalis, ex officio boni exempli nec non ex fine Ecclesiae desumendum est. Clerus persuasum habeat, optimam curam animarum etiam apicem artis politicae esse. Inhaerentes axiomati ab ipso Domino statuto: »Reddite, quae sunt Caesaris, Caesari, et quae sunt Dei, Deo«³ sacerdotes ab officiis patriotismi numquam et nullo modo deficient et pro temporum indigentia explicabunt fidelibus verba Pauli apostoli: »Non est potestas, nisi a Deo; quae autem sunt, a Deo ordinatae sunt Ideo subditi estote propter conscientiam. Reddite omnibus debita, cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal, cui honorem, honorem.«⁴

¹ Luc. 11, 17.

² Ephes. 4, 1—3.

³ II. Thess. 1, 3.

⁴ I. Reg. 15, 22.

⁵ Eccle. 4, 17.

⁶ Prov. 15, 28.

⁷ Hebr. 13, 17.

⁸ Ex libro S. de sermone Domini in monte.

¹ Habacuc 2, 1.

² II. Tim. 2, 4.

³ Matth. 22, 21.

